



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

2 Episcopus cum verbaliter a se depositis dispensare valet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIONVM CASVVM CONSCIENTIÆ

Ex doctrina Consiliorum Martini ab Azpilcueta Doctoris Nauarri
collectarum.

LIBER SECVNDVS.

TITVLVS I.

De Iudicijs.

SVMMA RIVM.

- 1 Sodomie crimen mixti fori est, & ab vtriusque fori iudice puniri potest.
- 2 Episcopus cum verbaliter a se depositis dispensare valet.

DECISIO I.

Ex cons. 1. in vtriusque.

Evdex Ecclesiasticus laicum confessum tantum per tormenta crimen Sodomie cum sua propria vxore commissum absque irregularitate iudici seculari pena mortis ab eo castigandum tradere nec potest nec debet; sed facit officio suo satis, ca stigando eum Canonicè aliquo iusto exilio, & alijs pœnis pœnitentialibus, absque hoc, quod eum iudici laico puniendum tradat; præsertim cum Sodomia cum propria vxore admissa minus peccatum sit, quam cum alia persona, sed & confessio per tormenta exacta minus legitima probatio est: quia tamen Sodomie crimen mixti fori est etiam canonicè scilicet a Iudice Ecclesiastico puniendum, Iudex etiam laicus talem laice punire valet. argum. capit. felix, §. præmissis, de pœn. in 6. Panor. in cap. tuæ, de pœn. & Felin. in c. de ijs, sal. 11. de accusat.

DECISIO II.

Ex cons. 2. in vtriusque.

Episcopus cum verbaliter a se depositis, etiam post depositionem verbalem, dispensare potest, præsertim si in sententia sua, vel Vicarij sui hoc faciendi potestas reservata sit, dummodo depositio illa ob adulterium, vel alia crimina eo minora, vel saltem non maiora, facta sit. Sin vero depositio talis ob hæresim, vel alia enormia crimina facta fuerit, cum eo dispensare nequit. Pan. Felin. Dec. & DD. in c. at si clerici, §. de adulterijs, de iudic.

TITVLVS II.

De foro competenti.

SVMMA RIVM.

- 1 Episcoporum depositio, & eius causæ cognitio hodie soli Papæ reservata est.
- 2 Canones de iurisdictione ordinaria deponentes omnem ordinariam includunt.
- 3 Nouitius persona ecclesiastica censetur, tum quoad beneficium canonis, tum fori, pro tempore quo in nouitiatu perseverat.

DECISIO I.

Ex cons. 1. alias 2.

Quamuis olim Concilium Prouinciale, vel Metropolitanus, de causis criminalibus Episcoporum cognoscere, & contra eos procedere poterat, c. Quamuis, 3. quæst. 6. glo. in ca. biduum, 2. q. 6. Hodie tamen nec Metropolitanus aliquis, nec Concilium Prouinciale, nec alius quisquam Papa inferior de hæresi contra Episcopos cognoscere, aut informationem capere, aut processum contra aliquem Episcopum suspectum, aut accusatum de alijs grauioribus causis, ad effectum transmittendi probationes, & processum ad Romanum Pontificem, etiam si hæretice prauitatis Inquisitores sint a Sede Apostolica deputati, sine expresso Papæ mandato facere, aut formare possunt; ex Conc. Trid. sess. 24. c. 5. de refor. et inquisitores de hæresi in 6. sed omnis Episcoporum depositio, & eius cognitio Papæ referuatur.

DECISIO II.

Ex cons. 2. alias 9. de privileg.

Cum canones disponentes aliquid de iurisdictione ordinaria fouenda tollenda, vel moderanda, non solum ordinariam iure communi competentem, sed illam etiam, quæ consuetudine præscripta, vel Privilegio, vel alio iusto iure, & titulo competat, includunt; ex eo quod lex generaliter loquens generaliter sit intelligenda, cap. solita, §. siua, de maiorit. & obedien. & iurisdictione ordinaria quocunque iure iusto quæ sita proprie ordinaria est: cap. vii. de offic. ordin. Possunt Abbates etiam non exempti, & alij, quibus olim, vel ex præscripta consuetudine, vel aliquo Privilegio clericorum suæ Ecclesiæ, vel cumulatim cum ordinario, vel priuatiuè cognoscere competeat; etiam hodie non obstante Concilio Tridentino sessione 24. cap. 20. §. omnes causæ, de ref. eadem iurisdictione vti; cum Concilium generaliter de iurisdictione ordinaria loquatur & iurisdictione Abbatis iusto iure, & titulo quæ sita, etiam ordinariæ censentur.

DECISIO III.

Ex cons. 5. in Nouis. deest in antiq.

Nouitius cum persona ecclesiastica censetur, non solum quoad beneficium canonis cap. si qui suadente, 17. q. 4. sed etiam fori, argum. cap. duo sunt genera, 12. q. 1. & ibi Io. Andr. & Dom. & Franc. in cap. beneficium, de reg. in 6. pro tempore quo in nouitiatu perseverat, subiacetque suis prælati, sicut & professi; Inde est, quod sicut cognitio, & punitio delictorum religiosorum professorum, ad iudices ecclesiasticos, & prælatos eorum pertinet: ita etiam & nouitiorum; poterit q. prælati contra nouitium pro homicidio tunc perpetrato procedere, eumque torqueri, si opus fuerit per aliquem clericum, vel religiosum non per laicum, nisi in locis, in quibus consuetudo id licitum fecit, arg. c. vniuersitatis, de sent. exc. in 6.

TITV.